

ARISTOTELIS

Conuerte ergo elementa, & quod quæris inuenies. Nam nostra compositio vt dicit Morienes, est naturarum mutatio, & earum, calidi cum frigiditate, humidi cum sicco admiscibilis connexio. Aquæ enim frigiditas, & ignis caliditas, aeris humiditas & terræ siccitas adinuicem concorditer ligata, integrum scilicet primum constituunt generatum. Sunt namque elementa, vt dicit philosophus circulariter conuersiua. Et ideo generantur & corrumpuntur adinuicem, sed hoc quod non nisi operatione & regimine perficitur.

Modi vero operationum sunt quatuor, puta, lapidis dissolutio in aquam spiritualementem, lapidis separatio in statum spiritualementem, lapidis reductio in terram naturalem, & lapidis desponsatio in calcem spiritualementem.

Lapidis dissolutio fit per contritionem, lapidis separatio per distillationem, lapidis reductio per incerationem, desponsatio per fixationem. Primus igitur gradus nostri regiminis siue operis est dissolutio lapidis in aquam spiritualementem, vt dicit philosophus. Quoniam primus modus preparationis est, vt lapis fiat Mercurius. Ipse enim est primum corpus operans in grossis rebus, vt reddat eas ad modum suum. Si enim dimitteret res grossas in sua grossitie, & non subtiliaret ens, non dissolueretur lapis, neque putresceret, Et ideo si aliud bene

bene